

Ann. VIII.

ROMAE, Kal. Aprilibus MDCCCCV.

Num. IV.

VOX URBIS


DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

SEMEL IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 4,80;
ubique extra Italiam Lib. 6,25; Doll. 1,25; Sch. 5; M. 5; Rubl. 3; Coron. 6,25.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in commentarii operculo
Lib. 0.10 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA



Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKĄ RODZINNĄ",
VARSAVIAE POLONORUM Rakowskie Przedmiescie, 15.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES LONDON W.
VARSAVIAE POLONORUM Krakowskie Przedmiescie, 6.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap et S. Rit. Congr. Typ.
RATISBONAE in BAVARIA.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

De Russici Imperii discriminē.
Quantum praesidii a Graecis litteris ingenia mutuentur.
De Thoma Vallaurio iterum.
Colloquia latina. - Formulae bene precandi.
Fabulae selectae Fontanii a Io. Bapt. Giraud latine redditiae, passim retratatae a Fr. Xav. Reuss: CXXX. Simius et Felis. - CXXXI. Milvius et Luscinia. - CXXXII. Pastor et Oves.
Equites Melitenses eorumque novus Magister.
De Cruce apud omnes populos sacra.
Ex Hungaria. Mythos de Sancto Georgio equite.
Ex SS. Congregationibus Romanis sententiae novissimae selectae.
Ex Batavia. De certamine poetico Hoeufftiano.
Acta pontificia: SS. D. N. PII PP. X « Motu proprio » de protonotariis apostolicis, praelatis urbanis, et aliis qui nonnullis privilegiis praelatorum propriis fruuntur.
Diarium Vaticanum: Coram SSmo admissiones. - Varia.
Annales: Iaponici belli vices. - Russorum civiles res. - Balkanici motus. - Germanorum Caesaris iter.
Publici per Orbem coetus legibus ferendis.
Per Orbem.
Aenigmata.

In secunda operculi pagina:
“Sociis et lectoribus Commentarii nostri humanissimis ,.

In tertia operculi pagina:
Monitum. — Ioci. — Libri recens editi.

ROMAE

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCV

Sociis et lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Novo superveniente anno, quem VIII Vox Urbis inscribere gloriatur, non quidem, ut plerumque assolet, nova et magnifica promittemus; non enim sociis et lectoribus, qui constanter in itinere, neque eodem brevi atque expedito, nos comitati sunt, magniloquis verbis temerariisque promissionibus illudere opus est nobis, sed tantum ea adnotare quae in eorum veram utilitatem adducere constituimus.

Vox Urbis itaque in annum M DCCCC V ea erit, quam socii voluerunt: commentarium menstruum, qui non unum Urbis augustae matris sermonem, sed omnem cultum et humanitatem referat, eaque omnia quae inde, veluti ex radiationis centro, animos usque a longissimis orbis partibus amice cum genitricis animo coniungere valeant. Disputationes igitur, quae plerosque populos aliquo modo attingant, a publica re ad bonas artes, a litteris ad historias, a philosophicis ad sociales quaestiones suum locum apud nos hoc etiam anno invenient, atque simul nuncii, significaciones, et documenta, quae tum circa catholicam rem, quam tueri gloriamur, tum circa eventus peculiari nota dignos, in varietate quamquam, *simplex dumtaxat et unum opus redant nostrum.*

Sed aliud quoque expediemus, quod non paucorum sociorum desiderium explebit; articulos scilicet in quibus, quasi in parva tabula, simplici eoque facili stylo, descriptionibus, narratiunculis, dialogis, argumenta vitae maxime communia tractentur, unde liceat colloquia latine inire atque alere. Ita finem illum supremum, ut latinus sermo universalis, prouti dicunt, reducatur, non modo obliviscemur, imo etiam propius prospiciemus.

* * *

Maiora vero comparavit administrator; qui non modo immutatum reliquit pretium subnotationis, quod est in Italia lib. 4, 80; ubique extra Italiam lib. 6, 25 (doll. 1, 25; sch. 5; march. 5; rubl. 3; cor. 6, 25); sed ad magis magisque commentarium vulgandum curis creditum suis rationes vere favorabiles cavit, quae sequuntur:

Si quis socios novos duos comparaverit, pretiumque eorum subnotationis miserit, subnotationem gratis omnino sibi habebit; eoque bono gauderi poterit ipse subnotator novus, qui, sua vice, eadem gesserit. Quum iste scilicet socios alios duos nobis acquisiverit, facultas ei erit non duorum pretium, sed unius tantum mittendi, atque alterum faciendi suum, ut pretio pro subnotatione iam ante misso sese resarciat. Neque eum pudor teneat novos

subnotatores de favore ipsi concessu aliquo modo certiores futuros: hi enim receptionis schedulam, veluti si pecuniam directe per se miserint, regulariter accipient. Haec una conditio, ut novi hi subnotatores intra menses duos, a propria cuiusque subnotatione decurrentes, requirantur, utque omnia ad Aristidem Leonori equitem (Romam in Italia, via Alessandrina, 87) recto tramite mittantur.

* * *

Quid plura?... Plura tamen administrator concedere sociis voluit, eaque paene incredibilia; id enim effecit, ut *VOX URBIS* socii e loco domicilii sui in Urbem, atque inde in domicilium suum reverti gratuito possent. Id iis paratum est — bibliopolis, uti patet, exceptis — qui ante Iulium mensem an. M DCCCC V sexaginta novas subnotations collegerint earumque pretium integrum ad administrationem miserint. Societati itinerum notissimae Cook et Son munus commissum; ea, ubi primum a nobis certior facta erit, epistolarum commercium cum socio inibit, omniaque disponet ut is nullo impendio ab *Europae* loco ubi vivit Romam usque, atque Roma in domum suam, secunda, prouti vocant, ferriveharum classi usus, iter aggrediatur. Estne difficile nimis sexaginta socios novos comparari? En rursus benigne succurrit administrator: qui triginta tantum collegerit, dimidiatum pretium itineris habebit.

* * *

Sunt tamen qui eiusmodi curas negligent: num his praemium nullum erit? Atqui erit sociis omnibus, qui ante expletum Februarium mensem an. M DCCCC V debitum solverint suum; idque, more nostro, pulcherrimum: *imago heliotypice* expressa metr. $0,32 \times 0,45$ *Pium X* Pontificem referens sacris ad solemnia indumentis ornatum atque benedicentem. — Quod si denique socius tabulam illam maluerit metr. $0,22 \times 0,45$ iam in nostrum commodum unice superiore anno desumptam, ac Pontificiam dominationis auspicationem referentem a Pio PP. IX an. M DCCCC XLVI peractam, quum exemplaria nonnulla apud nos sint adhuc, eam requirat, nosque, donec possibile erit, ei morem geremus.

* * *

Restat nunc ut sollicitudini nostrae sociorum favor in dies crescens respondeat.

Vox Urbis.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:

In Italia: Lib. 4,80 — Ubique extra Italianam:
Lib. 6,25, Doll. 1,25, Sch. 5, M. 5, Rubl. 3, Coron. 6,25

SEMEL IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:

ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

DE RUSSICI IMPERII DISCRIMINE.⁽¹⁾

SENTENTIAM, quae de Russorum seditionibus alias iam in *Voce Urbis* lata est, non quidem puto mutandam, nisi ipsa temporum morumque conditio alia suadeant. Illud enim planum atque cuiusque ingenio perspicuum est, vetustissimae gentis leges et constitutiones, quibus iamdiu vixerunt per saecula, momento temporis et quasi per vim non posse deleri, nisi magno tum privatorum tum reipublicae detimento. Inde vero minime inferendum, in Russorum terris omnia optimo regimine gubernari, sed adiuvari potius velimus et foveri ipsius Caesaris consiliis, qui satis iam quae innovanda essent cognovit habuitque perspecta, aptisque edictis declaravit sese a necessariis mutationibus non abhorrere. Multaque immo et ipse suis legatis exequenda proposuit, magna inicit, et maiora, si superis placeat, perficiet.



Quibus vero Russorum imperium et leges magis subsidiis ac remediis egeant, ea velut res maximi ponderis reliquias quoque orbis gentes respiciunt, sive ob fraternum illud vinculum, quo alia cum alia gens coniungitur, sive ob obscura profecto et cuvis inopina fata, quae ab innovanda Russorum gente maturabunt.

Russi enim plerique suorum malorum originem satis superque cognoscunt. Supremi imperii administri Caesaris auctoritatem et imperium sibi passim addixerunt, magistratibus et legibus ita usi, ut nullam iam amplius procurarent populo salutem, sed suae potius prosperiter utilitati. Magistratus insuper multi ambitioni et favori magis quam muneri et officio servientes ad tantorum virorum nutum gerere rempublicam non dubitarunt, iisque artibus honorem sibi arripere et gloriam.

Hoc modo nulla lege, sed arbitrio omnia antiquitus regebantur; quod malum longa consuetudine ita invaluerat, ut quod, regnantibus primo et altero Alexandro, perraro subditi conquerabantur, postremis hisce annis solitum quodammodo devenerit. Itaque suprema illa auctoritas et imperium, quod nullis limitibus coactum omnes dolent, iam non a Caesare, sed ab ipsius legatis geritur, neque, eo sublato, malorum causa divelletur. Quum itaque res sensim pendantur, non illa Caesaris auctoritas causa malorum esse dignoscitur quibus Russica gens agitatur, sed ex protervia et superbia magistratum tot miseriarum origo ducenda. Nicolaus

(1) In mentem sociorum revocamus quae iam alias monuimus, de rebus publicis praesertim sociis scribentibus libertatem dicendi esse, dummodo a *Voce Urbis* proposito supremo et humanitate longe ipsi ne abeant. — v. u.

enim Caesar testis quidam factus est malorum rei publicae atque morborum eius spectator, qui dum ipsis mederi vult, unde medeatur non habet satis.



At rerum publicarum medici, qui eius in loco se poni volunt, sive philosophi sive iurisperiti, dum praedicant Caesaris imperium esse abrogandum, stultum consilium proferunt pariterque inane. Nam, ut innuimus, populo tam vetustis moribus viventi Caesaris sui imperium esse tollendum non facile suadetur. Ea quum iam philosophi illi, regnante Alexander II, tentassent, consilia sua omnia et rogationes funditus eversa retulerunt. Ipse contra Caesar quum voluerit populum iuvare suum, brevi annorum circulo tanta fecit quanta Senatus nullus nullaque comitia fecissent. Nullibi enim quadragies centena millia servorum uno calami ietu vindicata essent in libertatem quin pessimae cierentur seditiones, bella civilia, agrarii tumultus et similia. At postridie quam Alexander ille populi pater Loris Melikoffi rogationi subscrispsit, ac reipublicae comitia et senatus dabantur palam, media in via a sicariis enecatus est, quos emerant et foverant... quinam? Non plebs profecto, sed philosophi illi, qui tam multa de abolendo imperio Caesaris docuerant.



Hisce itaque moribus, etsi everterent cives imperium, haud tamen rempublicam instaurarent. Neminem enim maximis illis scriptorum nominibus Tolstoio vel Gorkio decipi posse arbitramur, ut credat Russicum populum gerendae libertati ferendisque suffragiis esse paratum. Nam ubi pleraque plebs scribendi est adhuc et legendi in scia, nullus ibi animorum cultus, nulla civilis sapientia esse potest. Et revera, nonne duobus abhinc annis ut certam seditionem δημογόροι qui dicuntur incitarent falsa mentiti sunt Caesaris decreta, veluti si ipsius imperatoris voluntas in divites atque optimates, agricultores et opifices concitaret? Profecto hoc quoque anno vani evasissent omnes tribunorum conatus, nisi eorum causam bellum iuvisset illud, atrox quidem et infastum, quod ultimo in Oriente geritur. Stultum bellum et magnopere cruentum eos heu! maturavit fructus, quos nemo hactenus philosophus, nemo demophilus sperare potuisse. Militaribus infortuniis turbata est firma illa atque immutabilis spes, quam in Caesare suo universa natio collocaverat. Comoti plebis animi ob tantam tamque vanam cladem nova libertatis et iuris regna sibi iam fingunt.

Profecto libertas tuta atque sacra, ius sanctum et inviolabile, primae sunt conditiones ad civilem vivendam vitam. Haec vero prima fundamenta humanitatis, forte Russica natio possedit nunquam; ea sunt igitur ante omnia firmis legibus condenda et tutanda Caesari. Ut sit itaque civis persona sancta, ut sint eius bona ab arbitrio defensa primum cavendum; mox quae sequuntur praecpta iuris sanciantur, ut cives nimur aequo iure iudicentur, ut suae enique fidei vel religionis exercitium liberum sit, neque genus civium aut ortus aut fides criminis iis nunquam adscribatur; postremo ut provincialia illa comitia quae *Zemstvo* nominantur, in reliquos imperii magistratus censorio iure advigilent, atque ipsae curiae vel comitia certis legibus diligentur et cooptentur. Haec omnia si Nicolaus Caesar sponte et veraciter populo spondeat, aut si tuenda promiserit, suum profecto populum a futurorum seditionum periculo servabit.

N. Z.

QUANTUM PRAESIDIUM A GRAECIS LITTERIS

INGENIA MUTUENTUR⁽¹⁾.

II.

ECQUID vero sentiendum, si ad veritatis inquisitionem tota te mente convertas? Nonne haec scientia, quam sapientiae cupiditatem Pythagoras graeca voce appellavit, atticis in plagiis exorta, ibique vehementius exculta ad eam gloriam pervenit, ut reliquias regiones nominis celebritate compleret? Neminem vestrum latere existimo, quid de Athenis, et Graecia Tullius affirmaret, eas nempe omnium esse doctrinarum inventrices et parentes, e quibus veluti e puriori fonte omnis philosophica cognitio foret tunc temporis haurienda. Miramur arpinatem oratorem in penitiores quaestiones ingredi; de natura Deorum, de fato, de legibus, de mutuis hominum officiis, de finibus non eleganter modo, sed accurate disserere; at omnis laus, ipsomet fatente, Atheniensium academias tribuenda, quarum sedulus experrectusque fuerat auditor. Miramur in Boethii scriptis nescio quod vividissimum sapientiae lumen emitere, ut reliquis aetatis suae palmam in hac studiorum ratione praeripuerit: at cuius ope adeo sublimia vestigavit, nisi graecorum, et praecipue Aristotelis, cuius praecpta reliquis prior latina versione est persecutus? Miramur Thomae Aquinatis in disserendo acu-

(1) Cf. num. sup.

men, in refellendis obiectis perspicuitatem, in veritate tuenda robur; at vero eidem Aristoteli id acceptum referat necesse est, cuius praceptis fuerat penes Albertum Magnum imbutus. Longe, lateque, ut ad latinos remeem, Lucii Aelii Lanuvini, et Serv. Claudii nomina percrebuere; at cuius fuerunt doctrina informati, nisi Cratis Mallensis, quem post Ennii fatum Romae philosophica arcana accepimus aperuisse? Posteaquam in Graecia Thales, Socrates, Plato se verioribus disciplinis novum decus adiunxere, nobilissimus quisque ad eas urbes veluti ad sapientiae domicilium ex Italia commeabat, ut hoc amplissimo onustus thesauro lares domesticos celebraret. T. Pomponius Atticus, equitum romanorum deliciae, plures annos Athenis studiorum causa commoratus, eruditissimum quemque audiit, urbemque longa post temporis intercedine reversus non cognomen modo Attici, sed prudentiam doctrinæque divitias deportavit. Quam vehementer M. filium idem Tullius hortabatur, ut Cratippum audiens præceptis, institutisque philosophiae augeretur, et sapientium exemplo ad laudem atque honestatem excitaretur. Quid Decios, Crassos, Brutos enumerem? quum constet Augustum ad Apollodoro Pergameo, Tiberium caesarem a Theodoro philosophicis fuisse inquisitionibus excultos. Nonne Panaetius, Mnesarcus, Critolaus, Diodorus romanos adolescentes in veri vestigatione instituerunt? Erat sane Italia eruditissimis graecis affluens, qui Academiae, Stoae, Peripati mysteria nobilissimæ discentium multitudini aperuerunt. Iure igitur cendum, haec divina studia in italas oras ex hellenum fonte dimanasse.

At vero argivæ dignitatis contemptores triumphant, quum physica ista et mathematica obiiciunt, eaque contendunt nulla prorsus cum graecis litteris coniunctione sociari. Ego vero, si hisce disciplinis maius lumen novissima aetate accessisse denegarem, iure argui possem aut gloriae domesticae iniurius, aut ita imperitus et novus, ad cuius aures Galilaei, Newtoni, Kepleri, Laplacii, Lagrangiae nomina non per venerint. Omnis sapiens sentiat oportet, multa novo tentamine et recentiori vestigatione aperi, quae suis exordiis inchoata et rudia existere. At cuius animi, et quam ingratia foret, illos a quibus haec profecta fuerunt, aspernari, et Graeciam, in cuius gremio ad vitales auras haec studia prodiere, turpi tectam oblivione relinquere? Ecquid vero attici nominis osores poterunt respondere summis illis matheseos peritissimis Gregori et Makloren affirmantibus, uti refert Dutens, Pythagoram illud Magnae Graeciae lumen, primum legem detexisse, qua caelestia corpora in solem feruntur? Quid respondere poterunt Montuclae eximiam tribuenti eidem Pythagoræ gloriam, quod de telluris conformatione, de solis et lunae defectibus non minus vere, quam ingeniose disseruerit? Ut vero alia, quae in dubium a multis revocantur, omittam, nemo illius theorematis in re geometrica perutilis gloriam audet eidem philosopho denegare; quadratum hypothenusæ in triangulo rectangulo aequare quadrata cathetorum. Quid de Archita Tarentino in astrorum cursu dimentiendo, et in describenda tellure accuratissimo loquar? Ne huius videar laudes aut ignor-

tione siluisse, aut obiter commemorasse, venu sinum eyenum plenius Architae laudes sonantem audite:

*Te maris, et terrae, numeroque carentis arenæ
Mensorem cohibent Archita,
Nec quidquam tibi prodest
Aerias tentasse domos, animoque rotundum
Percurrisse polum.*

Quid Euclidem proferam, quocum nata geometrica studia adolevere? Quid Archimedem? satis ea loquuntur, quae de aequiponderantibus, de iis quae vehuntur in fluido, de trochlea, aliisque ad vires iuvandas instrumentis expousit, cuius tumulum detexisse Syracusiisque indicasse Tullius iure gloriatur. Quid de Thalete, de Apollonio, quid de Aristacho Samio, quid de Ptolemaeo loquar? quum Theophrastus, et deinde Eudemus de eorum in re mathematica inventis historiam perscripserint. Vel inviti igitur fateantur oportet, has disciplinas, quae modo impensius excoluntur, vitae primordia apud argivos habuisse, quibus non medioris gloria etiam recentiorum iudicio trahuntur.

Nimium profecto orationis seges excresceret, si quantum iurisprudentia, quantum salutaris scientia hygiae, quantum artes illae, quas liberales nominamus, graecis debeant, niterer disserendo complecti; quum testis temporum historia aeternis paginis Solonis, Galeni, Zeuxis, Apellis, Phidiae nomina commendarit, quumque etiam voces illae, quibus toties artis magistri utuntur, quasve ad res novas appellandas excidunt, a graecis deducantur.

(Ad proximum numerum).

A. ANGELINI.

DE THOMA VALLAURIO

ITERUM (1).

QUI historiam latinae eloquentiae in archi gymnasio Taurinensi passim apud *Vocem Urbis* pertractavi, deque præcipuis doctoribus qui in eo floruerunt late satis locutus sum, ad illum redeo qui semper id omnino inculcabit, ut Italorum antiquorum exempla ante oculos perpetuo obversarentur, ne forte, opinionum perversitate abrepti, in errorem nihil sentientes delaberentur. Quum enim omnia Subalpinorum ingenii illa aetate suppeditarent, quibus ad gloriam homines grassantur, summa ope ad laborandum Vallaurius putabat, ut alacres illum viam ingredierentur, qua insitam vim ad patriæ decus et propriam utilitatem possent exprimere.

Revera unus inter Italos usurpare consuevit in *aeroasibus* suis latinum sermonem, adeoque purum, disertum, lenociniis verborum plenumque sententiarum, ut nec ipsum Ciceronem illarum poeniteret.

Quotquot erant in urbe, tunc regni capite, vel negotiorum causa eam inviserent, elegantis ingenii viri atque latinarum elegantiarum intelligentis, saepe saepius ad eius scholam adventare, et vultu, animique admiratione, magistrum adrectis auribus auscultare atque lau-

(1) Cfr. an. VII, num. IX.

dare. Tunc vere illud Vergilii aptissime referendum claro viro autumabas:

Ille regit dictis animos, et pectora mulcit!

Quum enim post Carolum Albertum, Subalpinorum regem, latinae litteræ exsulare iussæ fuissent, vix illis, qui eloquentiam latinam tradebat, latine loqui licuit. Et ipse totis viribus illuc contendebat, ut Subalpinorum iuvenes ad litterarum latinarum studium excitaret, quæ tum pestifero veluti sydere afflatae, perperam verae eloquentiae officere dicebantur. En paucis, quam ipse ex more maiorum, veluti face a magistris tradita, docendi rationem in usu habuit.

Singulis annis in schola probatissimum scriptorem enucleandum proponebat, ita tamen, ut in omni studiorum curriculo, quod per quadriennium solveretur, nunc poëtam nunc soluta oratione auctorem interpretaretur.

Unus vel alter ultro sese offerebat in vulgare eloquium vertere, quod magister interpretandum adgrediebatur. Tunc, arrepta occasione, quod scriptor Romanus raptim dixerat vel leviter, ipse claris sententiarum luminibus effuse enarrabat, et saepe saepius verbis landatissimi cuiuspiam Itali scriptoris auditores suos hilarabat, ita discipulos ad Italorum litteras strenue addiscendas vehementissime hortabatur, qui eius exemplo admirabantur, quo litterae sororria cognitione devinciebantur.

Semel in hebdomada, quidquid alumni scribere niterentur, diligenter audire, suavi modo corrigere, atque ad melius in posterum animos addere in more habuit.

Et quum in hanc nostram inciderit aetatem, quæ libiores sententiae per ephemerides passim, quas indocti saepe scriptores in vulgus ederent; vel minutæ res atque ineptæ quodam quasi velo obtenderentur, vix dici potest quantum sincereæ eloquentiae obficerint. Hinc acerbissime conquestus in saeculi errores inquirere et inclamare consueverat, passim a scholæ suggestu, ut suæ disciplinae alumni vitarent crebra antitheta longius petita, orationem puerilibus argutiolis lascivientem, aut ridendo sententiarum verborumque tumore sese extollentem, veri et pulchri sensu occallescentem, recitatores declamatorio genere, delectatos ea tantummodo sequi, quae hominum venustiorum acclamaciones et plausus in auditoriis excuterent. Quam vere Plinius, aiebat, hanc aequalium foeditatem stomachatus affirmare non dubitabat, eum pessime dicere, qui laudaretur maxime!

Vallaurius vero non modo voce alumnos suos docebat, sed et scriptis.

Venio in primis ad *Orationes*, quas identidem studiis auspicandis in Auditorio Maximo regii athenaei haberet. Qui tibi eas perlegenti statim romani sermonis lepor! quae mundarum elegantiarum oboritur species! Ut mentes auresque auditorum antiquitatis quodam, poene dixerim, lepore permulcent ac sibi conciliant.

Neque solum eloquentissimi laudem eloqui, sed et multae facundaeque scientiae noster præ se fert, ita ut eiusdem ingenium tum ab Attica illa Romanaque elegantiarum schola, tum ab hodierna doctrina aequa recens subactumque lectoribus adpareat. Scilicet eius oratio conferta rebus, decora sententiis, historicis documentis scitissime distincta, et nativa quadam

omnino arte ducta, hominem prodit, in quo nescias utrum pulci sensus an veri intelligentia magis probanda videatur.

Doctoribus igitur discipulisque nostris scriptorem hunc spectatissimum legendum commendabo, ex quo, veluti ex uberrimo fonte, maxima etiamnunc derivari utilitas potest ex orationibus, praesertim ubi tanta rerum gravissimarum copia, a recentiori humanitate petita, antiquo sermone et sincera eloquentia exornatur.

SUBALPINUS.

COLLOQUIA LATINA

Formulae bene precandi⁽¹⁾.

DIDASCALUS. — Formulas illas, quibus latine alicui, aut aliquibus bene precare possimus mihi recitato, Bernardine.

BERNARDINUS. — Hem, praceptor.

D. — Quibus verbis peregre abeunti seu in viam se danti optes prospera?

B. — Iстis: *Hoc iter felix faustumque tibi sit.*

D. — Alter.

B. — *Faxit Deus, uti salvus et incolumis revertare.*

Bene prospereque istuc tibi itineris eveniat. — Tibi sit iter laetum.

Feliciter abeas tuam viam.

Bene ambulato. — Placide eas.

Cum diis benevolentibus, sive omnibus bonis eas.

D. — Quibus nostris diebus non intempestive quidem addere poteris: *Ex ferriviae incursionibus te sospitent Superi, aut similia...*

Sed quomodo peregre redeuntem salutabis?

B. — *Optatus mihi et carus accedit tuus iste redditus. — Opportune advenis.*

Reditio tua multum me exhilaratum sentio. — Tua reversione etiam atque etiam laetor. — Gratulor tibi de redditu tuo.

Quod sanus reverteris gaudeo. — Quod te vivum ac valentem repererim gaudeo.

Deo sit laus, qui te firmum valentemque nobis restituit. — Gratia Superis quod nobis incolumis redieris.

Ego te mihi tam valentem obvium fieri gaudeo.

D. — Quae verba homini, quem iamdiu non videris?

B. — *Adventum gratulor!*

Di te ament! sive Gratia Superis! Ubi tam diu latuisti? Conspectum ne nostrum fugitas? Iam multum temporis nos non invisisti; quid causae fuit; sive quid accidit ut tam diu nos non adires?

Expectate, venis. Quid rei est cur nos tam raro visis?

Quid sibi vult, quod nos tam diu non convenisti?

Quid obstitit quominus viseres nos frequentius?

Quare tam rarus es salutator?

D. — Prandentibus et coenantibus bene precare, Caecili.

(1) Ex opere IACOBI PONTANI, cui titulus *Progymnasium latinitatis* (Monachii MDCX). — Passim retractavit I. F.

FABULAE SELECTAE FONTANII

A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE

PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS (*).

CXXX. — SIMIUS ET FELIS.

Simiolum simul et felem domus una tenebat; His communis erat mensa, grabatus, herus. Par nostrum, vafrius quo nil natura crearat, Volvere gaudebat nocte dieque dolos. Furto si quidquam domino lapsu periret, Ex his prodierat, non aliunde, malum. Prunis impositas, torrei respere quodam Castaneas noster cernit uterque latro. Has rapuisse parant, quibus est geminata voluptas Comoda ferre sibi, damna tulisse coquo. Simius haec igitur feli: « Soror, arte magistra Nunc opus est: calidas callida tolle nuces. Si, qua tu polles, ego dexteritate potirer, Lautam surriperem protinus ipse dapem. » Audit adulantem felis, cineresque calentes Submovet ungue levi, fertque refertque manum. Nux iam prima cadit, cadit inde secunda, subitque Tertia, quarta, nucum dum iacet ampla seges. Simius appositā coenā laetatur; at eheu! Improvisus adest, testis et ulti, herus. Diffugiunt fures, ieunaque felis obeso Simioli gratis exta replesse dolet. Haud aliter commissa dolet rex praelia, quorum Aemulus interea praemia sustulerit.

CXXXI. — MILVIUS ET LUSCINIA.

Frusta quaeasierat per gallinaria praedas Milvius; obstiterant dente minante canes. Missā chorte, virescentes dum pervalat agros, Corripit heu! citior fulmine, lusciniam. « Parce mihi, quae eo, — sic nuntia veris atrocam Exorat lanium; — sospes abire sinar. In me quid reperi coenandum, tantula cum sim? Tota sonis consto, queis satur esse nequis. Guttur ne laedas, quod fecit Musa canorum; Tereos (1) infidi vin' tibi fata canam? »

(1) Tereus, ut Mythologia refert, in Thracia regnavit, vir crudelis et libidinosus. Is Philomelae, ne regium scelus proderet, linguam resecuit. Quod facinus tam aegre tulit Terei uxoris Progne, Philomelae soror, ut filium Ityn, in frusta sectum, marito coenanti apposuerit. Mox Tereus in milvium conversus est, converso Ity in phasianum, Progne in hirundinem et Philomela in lusciniam.

- « Tereus iste quis est? num milvis utilis esca? » - « Non ita; sed praedo Thraciis ille fuit. Dicam, crudelis quid Thrax peccārit, et ultrix Quae sit oborta manus: res ea saxo movet. » - « Nae, stolidam te miror avem, ieunia passo Quae, dape pro solidā, porgis inane melos. » - « Regibus at summis cecini. » - « Tu regibus ergo, Si dedero veniam, rursus inepta cane. » Me tamen haec tua membra iuvant: discerpta vorabo. » Surdam iure Famem dixeris: aure caret.

CXXXII. — PASTOR ET OVES.

- « Ergo aliquis semper stolidā de gente peribit! Semper erunt nostri praeda lupina greges! Frustra mane meas lustro numeroque bidentes; Imminuit turbam nocte sequente lupus. Mille aderant nuper, pluresque; nec obstitit una, Quum mihi Candidulam tolleret hostis ovem. Candidulam dico, quae frustula panis, herili Vix oblata manu, corripiebat ovans; Quae per agros mecum per et urbes, fida catella, Ibat, et issit eo, qua polus alget iners; Omnes quae modulos nostrae callebat avenae; Nare sagax, ut herum nosset odore suum. » Haec ubi Candidulæ lacrimoso Tityrus ore Gesta celebrarat, marmore digna pio: Alloquitur totum, quod circum balat, ovile, Matres lactentes cornigerosque patres: - « Gens ovium — sic ille — metum procul abiice; firmo Sta pede; densa phalanx, opprime mole lupum. » - « Iuramus — sic lanigeri — per cornua lunae: Stabat nostra, velut saeza meta, cohors. Vindice nos acti pietate, ruemus in hostem, Frangere non veritum guttura Candidulæ. » Fortes laudat oves pastor, quas martia virtus, Quas iurata fides fecerit impavidas. Ante tamen quam nox umbras inducit opacas, Inter oves terror panicus exoritur. Visus adesse lupus; quo viso, diffugit agmen. Nec lupus ille fuit, sed lepus aure potens. Miles vel timidus, ducis ad flammandia dicta, Ardet in hostiles insilvisse globos. Vix tamen arma sonant, trepidus fugit, atque fugacem Nec potes exemplo, nec revocare minis.

CAECILIUS. — *Sit vobis hoc prandium, seu coena salutaris. — Istae epulae conductant vestris corporibus; sive: prosint vobis.*

Propinando autem: *Saluti vestrae poculum magnum propino: Maximas optimitates gaudi offertissimas vobis omnibus compreco.*

Sit felix haustus, sit salubris potio; bibatis salutem perlibenter.

Dii dent quae velitis: vobis propino salutem plenis faucibus.

Quibus respondeant convivae: *Accipio perlibenter.*

D. — Ad te mox redibo, Bernardine, si Fusculum interrogavero. Age, Fuscula, quid dices aegrotanti quod audiat quam libentissime? Nonnulla enim recordor me dictasse vobis.

FUSCUS. — *Deus Opt. Max. valetudinem tibi redintegret; ab hac febri, ab hoc morbo te liberet.*

Remittant dolores.

Medicina malo tuo bene vertat.

Leventur, oro, dolores tui ac depellatur tandem morbus iste tuus.

De valetudine tua Di nobis optata ferant.

Avertat Deus, sive Prohibeant Superi morbum istum.

Quum autem hominem sanatum video: Ex longa valetudine te tandem recollectum cum gaudio video.

Oh! nunc tandem vales, ut vix unquam antehac melius!

Facies en ipsa loquitur te tandem belle valere!

D. — Sat multa. Quid sternutanti, Bernardine?

B. — *Deus te servet! — Sit saluti! — Bene tibi!*

D. — Nihil aliud?

B. — Nihil quod sciām, aut tu dixeris.

D. — Diem et noctem.

B. — *Hic tibi dies candidus illuxerit. — Felix procedat tibi hic dies.*

Haec nox tibi commoda transigatur. — Prosporam, placidam tibi istam noctem precor.

— Sit tibi fausta nox.

Somnus tibi placidus contingat.

D. — Optato aliquid boni honorem adipiscen-tibus, Fuscule.

F. — *Recte quidem in te collocatum munus.*

Gratulor tibi honore isto; faxit Deus ut

sit perpetuum ac proprium.

Hic honor tibi, quaeso, perpetuus sit.

Hunc honorem Superi tibi conservent at-que augeant.

D. — Opus quidpiam aggredienti?

F. — *Quod bene vertat. — Di bene vertant quod agas.* — *Quod fauste feliciterque cadat, seu*

« magister » est appellatus, dicatumque est ho-spitium Sancto Ioanni Baptiste, cui et tem-plem fuit aedificatum, unde nomen Ordo ipse recepit Hierosolymitanus a Sancto Ioanne.

Sed vix post saeculum, everso iterum Latino-rum regno Hierosolymano, equites Iohannite Rhodum recesserunt, unde Rhodiani quoque equites dicti sunt. Ibi a saeculo tertio et de-cimo usque ad decimum sextum sedem ha-buerunt, eaque ex insula, veluti vigilis manus terra marique nunquam defatigata virtute, to-tidem per saecula in Arabes et Turcas et Mau-ritanos summa gloria decertarunt.

Rhadiana illa arx quae, inoppugnabilis ve-luti custodia, contra Orientis litora christianam

At « Capitulum » quod novo de magistro suf-fragia tulit in aliis Ordinis aedibus in ipsa-Urbe, a platea cui ab Hispania nomen hand-procul collocatis, coivit. Capitulo adfuere prio-res magni, balivi, qui dicuntur, et magni com-mendatores, septem atque decem numero. Ma-rianus Rampolla del Tindaro Purpuratus Pater, Prior Magnus coetui in sacello praefuit; deinde equites in aulam secedentes suffragii ferendis operam dedere. Italos inter et Austros brevis contentio fuit: at tandem, quasi uno nomine utriusque factionis componeretur dissidium, Ga-leatus Thunnensis, ut diximus, electus est.

Galeatus enim ab antiquissimo et nobilis-simo Tridentino genere ortum duxit. Viro illi clarissimo, qui administrorum collegio iam in imperio praefuit, cognatus, castitatis vota diu anteia iam pronunciavit, atque morum honestate et integritate vitae, pariterque virtutis constan-tia celebratur. Aetate quoque vir floret maxime; vix enim quintum annum supra quinqua-ge-sum attigit. Iure igitur eius a magisterio multa atque fausta sibi et Ordini equites omnes sperant et auspicantur; quae quidem et Ecclesiae decori et sui coetus gloriae fovendae optime evadant.

DE CRUCE APUD OMNES POPULOS SACRA.

CHRISTUS Dominus, non aliter quam redem-p-tionis atque incarnationis prophetias ius-sit ab efficto usque hominum genere loqui, ita revelasse videtur fatidico signo ab antiquissima patriarcharum aetate illius supplicii figuram, quo ad redimendos homines erat moriturus. Id quidem primum Moysi patefecit, quem legimus populo secum per desertum peregrinanti atque pestifera lue laboranti serpentem aenaem cruci innodatum ostendisse, in quem qui res-pexisset salvus fieret. Primae prorsus hae traditiones sunt fidelis sponsonis a Deo poenitenti Adamo nunciatae de divina redemptione, manentque eius praeclera vestigia.

Verum cultus atque religio in signum Cru-cis non unius tantum Israelitici populi propria-fuit, sed passim et ceteris quoque in religio-nibus exstat; quapropter non temere, sed ne-cessario concludendum est, non aliunde eam processisse, quam e revelatione divina. Quin-immo crucis quoque significatio eadem semper manet, atque aliquid praefert salubre, salu-ferum, divinum. Apud Indos exstant nummi, iisque vetustissimi, quibus Deus quidam rex regum atque sospitator maximus crucem gestans manibus effingitur. Apud Aegyptios inter populi litteras producta crux, cuius vertex ansa transfoditur, vindicem, auxilium, salvatorem si-gnificat. Atque in celeberrima illa inscriptione anno MDCCXCIX reperta hae quidem leguntur verba « Ptolemaeus + Aegyptiorum » quod est « Ptolemaeus Aegyptiorum servator ».

Barbari quidem, Galliarum incolae primi, Druidicis abditi silvis, crucem sacris suis my-steriis venerabantur, cudebantque in nummis eius signum. Uno verbo, apud veteres adeo dif-fusa crucis religio invenitur, ut de nullo forte populo absque calumnia dici possit eam non coluisse. Hochard doctor, anno MDCCXCVI in



Aedes Equitum Melitensium Romae, in Monte Aventino.

eveniat. — *Feliciter cedat quod instituisti.* — *Feliciter exeat quod aggressus es.*

Tuis coepitis adsit Deus. — *Superi incoepita tua ad exitum felicem perducant.* — *Superi hunc laborem tuum fortunent.* — *Faveant Superi tuis conatibus.*

D. — Novo anno ineunte, quae bona verba dic-cemus?

F. — *Fausta omnia, sive omnia bona in pro-ximum annum (scil. precor).*

Hic annus tibi faustus procedat. — *An-num novum faustum felicem tibi ominor.* — *Vive hunc annum sanus et incolomis.*

D. — Nihil est praeteritum. Amo vos multum de memoria et diligentia.

EQUITES MELITENSES

EORUMQUE NOVUS MAGISTER.

MELITENSIMUM equitum Ordo, qui novum nunc sibi magistrum supremum Romae sollem-niter elegerunt Galeatum Thunn, a decem iam saeculis Ecclesiam Christi virtutis gloria insigni decoravit. Hierosolymae, usque ante primum crucis bellum, originem Ordo sumpsit, quum Amalphitani quidam mercatores, qui eo migra-verant, veniam a Turcarum regulo petierunt condendi hospitium, quod peregrinantibus Christianis praeberet asylum. Fiebant haec anno M XL VIII; at capta paulo post a Gothofrido Hie-rosolyma, multa novaque privilegia tum eius munificentia, tum a regibus qui sequuti sunt Ordo lucratus est. Tunc, qui custos Ordinis erat

rempublicam tutabatur, Turcarum odiis et con-gressibus maximum eminebat obstaculum. Ita-que variis et multiplicibus adhortationibus illud tollere oppidum omni vi Turcae conati sunt, quoadusque, oriente saeculo XVI, Solimanus rex, ingenti classe atque exercitu instructo, insulam obsidione cinxit atque tandem oppugnavit.

Dispersi equites per varia loca perfugae Pa-normum, Venetas, Eubaeam, Romanam petierunt, donec anno MDXXV Carolus V imperator Melitam insulam illis habendam et defendendam tradidit. Eos vero ut inde quoque expelleret Solimanus rex brevi rediit anno MDLXIV; at Iohannes de la Vallette, magnus tunc Ordinis magister, congregantes Turcas summa virtute repulit, qui suae gloriae in memoriam novae urbis fundamenta tunc iecit, quam a suo no-mine Vallettam dixit.

Sed fracta paullatim Turcarum potentia, cru-cisque bellis silentibus, equitum quoque res gestae pallescere temporis fluxu visae sunt. Nullam enim Anglis invadentibus vim opponere valuerunt, quum illi insulam sibi usurparunt, ut aduersus Napoleonem consulem propugnaculum ficerent. Immo et quum Vindobonae de Melensi dominio Anglis servando decre-tum est, Melitensium equitum voces et ob-testationes omnino inanes evaserunt nullique auditae, neque Coreyram insulam, quam pe-tierant, obtinuere. Equites tunc primum Cata-niae, Ferrariae deinde, Romae tandem in Aven-tino Monte posuerunt sedem, ubi saluberrimus aër, splendidus ad Tiberinum portum prospe-ctus, silentes amoenique horti.

Annales de la Faculté des lettres de Bordeaux scribebat Tau signum, longe prius quam christiana doceretur religio, tamquam sacrum fuisse late habitum, illudque passim Apostolos in regionibus, quas evangelio instituerunt, ad honores iam enectum invenisse. Certissimae plane rei nunquam Patres refragati sunt. Tau littera, ut erat ab universis populis peculiariter exulta, ita quasi commune vinculum apud antiquos religiones atque gentes connectebat; quumque ethnicus forte sive in Graecia, sive in Aegypto, sive in Assyria ortus Christum sequi constituisset, modo etsi vario, pergebat tamen idem venerari signum, quod antea iamdudum coluerat.

Modo in recentissimis Fidei propagatae analibus anno M DCCXL Krick pater, ad barbaras tribus media in Asia errantes profectus, inque altis Hymalaia iugis Abordos barbaros milites ad octingentos quum doceret, eorum in fronte, inopinatum ferme, depictum signum compertit caeruleo colore descriptum. Tum Sacerdotem sese esse pandidit, neque ad aliud quidem venisse, nisi ut crucis huius potens mysterium iis explanaret: quamque collo suspensam ipse ferebat crucifixi imaginem extulit atque deosculatus est; mox milites singuli demisso obsequio unus post alium exemplum eius sunt imitati; quum denique pater eos rogasset quoniam ex tempore vel qua ratione signum illud gestarent, concorde edixere Dei signum illud esse atque illud circumferre maxime decere; qui autem eo signo distingueretur, eum Deo manere sacrum, quumque obiisset, ascensurum in caelum.


Concordant itaque passim populi sacrum signum, salutis signum crucem esse. At quis omnibus unam eamdem doctrinam tradidit? Infidelis itaque hanc meditetur quaestionem. Non ea quidem vanis verbis, vel futili eloquio endanda, sed primae Veritati reddenda laus, atque ad illam usque primam manifestationem confugiendum, quam Deus ipse Adamo aperuit. Crux enim si a prima usque aetate hominum in sacris rebus fuit passim, una exstincta rei semper ratio, quod nimis Christum Servatorem portare eam oportebat, quem et fidei nostrae et omnis spei, et studii animorum omnium, unam fieri metam, unum obiectum necesse erat.

O Crux, ave spes unica!

civium, anxio animo trepidantium quasi suus propinquus carissimus in periculo versaretur.

Ad ducem en quidam pastor canus accedit, orans ut filia aspicienda sibi concedatur. Pastor enim multifarias herbas medicamenta habentes noscit; parare unguenta mirabilia potest eius generis quod permultos homines gravissimis morbis oppressos sanaverat.

Permissione accepta pastor puellam inquisivit, eidem potionem coxit, a qua illa in meliorem statum se restitutam sensit. Pastor canus duci promisit valitudinem filiae iterum integrum fore, si ipsa in eam regionem mitteretur, ubi pastor ipse gregem pascere soleret. Est enim ibi in valle altis axis circumdata quidam fons, qui calide e terra fervet. Si filia eiusdem fontis aquis ad certum tempus utatur, brevi convalescat.



Hortus Equitum Melitensis Romae, in Monte Aventino.

arx de Galambóc (Serbica lingua « arx de Columbács ») est condita.

In locis editioribus, quae pastoris vallem circumdabant, quidam eques vivebat, nomine Georgius, qui, omnes regionis incolae pagani quum essent, unus religionem christianorum profitebatur. Quadam die sub queru sedens librum sacrum legebat; circa eum equi erant, iuxta vero canes ululabant. Subito atrox clamor ad equitis aures pervenit. Clamor iterum sublatus est. Georgius raptim descendens equum album, hastamque ferens ad clamorem accurrit.

Sed equus ad infimum saxum quum pervenisset ante profundum dehiscens constitit; equiti autem atrox spectaculum obversatur; vident enim foeminas, inter quas ducis aegrota filia, cum atrocissimo dracone congregientes. Hic post equites plures stratos, foeminarum corpora circumvolvere satagebat: oculi scintillas emittebant, e fauibus immanibus vapores ardentes exhalabant, trisulcis linguis ore micantibus.

Georgius circumspexit, inveniretne viam e summo saxo in vallem deducentem; sua vice equitem vident foeminae, caelique angelum putantes, qui a Deo ad illas liberandas esset missus, sublatis manibus ad eum clamare coeperunt. Georgius equo calcaria subiecit, prorsus saltavit, ruensque in altum currebat. Eum sunt secuti canes. Mirabile dictu! Georgius nil mali quum accepisset in draconem vehementer impetum facit atque immanes post labores ipsum devincit. Dein ex equo descendit, in genua proculbens gratias Deo agit, in draconem exspirantem procurrit eum transfossurus. Caput igitur ense secuit, idemque maximo cum robore Danuvium, ad Serbiā versus traiecit. Caput ibidem in rupis hiatum incidit, super quem post

Ex eo draconis capite quotannis permultas nasci muscas vulgus autumat, quibus nomen *muscae de Columbács* animalibus domesticis infensissimas; iuxta Danuvium autem in eodem saxo, ex quo Georgius una cum equo descendebat, etiam hodie adesse vestigia calcaris equi, canumque, apud populum, qui ibidem incolit, in maximo honore habita, quippe quae fortitudinem Christiani herois in perpetuum demonstrant.

LADISLAUS DE THÓT.

EX SS. CONGREGATIONIBUS ROMANIS SENTENTIAE NOVISSIMAE SELECTAE.

Ex Congregatione Episcoporum et Regularium:

Superiorissa nequit ex se ipsa denegare sororibus suis confessarium extraordinarium, etiam ob motiva quae aiunt extrinseca. Si adsint rationes vere graves, Superiorissa eas subiicit Ordinario, cuius iudicio standum erit. (Ex decr. d. v. mens. Augusti an. M DCCCC IV).

Ex Congregatione Sacrorum Rituum, Indulgientiarum et Sacrarum Reliquiarum:

Simplex Sacerdos nequit iure suo Ecclesiam benedictam, ubi violata fuerit, reconciliare sine ulla Ordinarii sui delegatione. (Ex decr. d. viii mens. Iulii an. M DCCCC IV).

— In erectione « Stationum Viae Crucis », cruces affigi possunt super scamna, dummodo haec inamovibilia et satis erecta sint. (Ex decr. d. xiv mens. Septembr. an. M DCCCC IV).

EX HUNGARIA

Mythos de Sancto Georgio equite.

In media Hungaria, etiamtunc Romanis regnibus, quidam dux vivebat, cui contigit filia pulcherrima, gaudium, spes patris grandis natu. Sed etiam populus valde dilexit hanc ducis filiam, quippe quae haud minus benevolia esset, quam speciosa.

Sed, misero fato, morbo affecta est puerilla, ad quam clarissimi ex dissitis terrae plagiis medici sunt vocati, qui tamen frustra adlaborarunt ut in pristinam valetudinem aegrota reduceretur. Eius enim vires in dies deficiebant, mors singularis horis exspectabatur magno cum dolore

— Episcopi pro viribus carent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immixtus et duae candelae in Missis accendenda, sint ex cera apum saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra altaris ponenda sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Quia in re parochi aliisque rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes Missam celebratur de qualitate candelarum anxie inquirentur. (Ex decr. d. XIV mens. Decembr. an. M DCCCC IV).

— Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate, etiam regia, titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praepositurae iampridem destructae, aut penitus extinctae, functiones pontificales celebrare nequeunt, neque insignia gestare quibus utuntur Abbates mitrati, sive pontificalium usum habentes, uti sunt crux pectoralis, mitra et baculus. Idem, qua tales, benedictionem nullam recipere possunt et praesertim illam, quae invenitur in Pontificali Romano. (Ex decr. d. XIV mens. Decembr. an. M DCCCC IV).

— In Missa votiva de fidei propagatione adhibendus est color violaceus. (Ex decr. d. XIV mens. Decembr. an. M DCCCC IV).

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano.

Accepimus, et libenter vulgamus:

« Die XIII m. Martii in conventu Ordinis Literarii Academiae Regiae Disciplinarum Nederländicae relatum fuit de XXXI carminibus, quae Amstelodamum missa fuerant ut de præmio certarent. Victor renuntiatus fuit

Iohannes Pascoli ex urbe Pisa,

qui *Fanum Apollinis* cecinerat. Praeterea sex carmina laudata fuerunt, nempe: *Tullus Propertio*, *Metus inanis*, *Aucupium*, *Protesilaus*, *Codex*, *Apud Horatium coena*. Haec quoque carmina legati Hoeufftiani sumptibus edentur, si poetae veniam dederint schedulas aperiendi, quod iam fecit poeta *Aucupii*, cuius nomen est ANGELUS SOMMARIVA ex oppido Albenga.

H. T. KARSTEN,
Acad. Reg. h. t. ab actis».

ACTA PONTIFICIA

SS. D. N. PII PP. X

MOTU PROPRIO

De protonotariis apostolicis, praelatis urbaniis, et aliis qui nonnullis privilegiis prælatorum propriis fruuntur.

Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum apostolicum premur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere præfulgent, pontificales prærogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus (*ep. 69, n. 8*) dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo*; nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus posuit *Episcopum regere Ecclesiam Dei* (*Act. XX, 38*). Quapropter, *Presbyteris superiores esse Episcopos*, iure definitum Tridentinum Concilium (*Sess. XXXIII, c. 7*). Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra ceteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostrorum sunt Episcopi, et sacra Ordinatione

pare. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decesores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insigniti, concessus est, id saepe accedit, ut, vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuria.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfacere, sive Apost. Litteris, sive S. Rit. Congr. Decretis plures ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epist. S. R. Congr. d. xxxi Martii M DCC XLIV « *SSinus Dominus Noster* », iterumque idem Benedictus, d. xvii Februarii M DCC LII « *In throno iustitiae* »; Pius VII, d. XIII Decembris M DCCC XVIII « *Cum innumeris* », et rursus idem Pius, d. iv Iuli M DCCC XXII « *Decet Romanos Pontifices* », et Pius IX d. xxix Augusti M DCCC LXII « *Apostolicae Sedis officium* ». E sac. Rit. Congregatione memoranda in primis Decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die xxvii mensis Septembri M DC XIX et ab Alexandro VII confirmatum; dein Decreta diei xxii Aprilis M DC LXXXIV de Canonicis Panormitanis; diei xxix Ianuarii M DCC LII de Canonicis Urbinatibus; diei xxvii Aprilis M DCCC XVIII de Protonotariis Titularibus, a Pio PP. VII approbatum; ac diei xxvii Augusti M DCCC XXII de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et prærogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viiores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia addiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublati omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, prærogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut prætensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constitutimus, præcipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, prærogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu Proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

A). — DE PROTONOTARIIS APOSTOLICIS.

1. — Quatuor horum habeantur ordines: I.^o Protonotarii Apostolici de Numero Participantium, septem qui Collegium privative constituant; II.^o Protonotarii Apostolici Supranumerarii; III.^o Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; IV.^o Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

I. — Protonotarii Apostolici de numero Participantium.

2. — Privilegia, iura, prærogativas et exemptions quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia iam-dudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta, libenter confirmamus, prout determinata inventiuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione « *Quamvis peculiaris* » Pii PP. IX, diei ix mensis Februarii M DCC LIII, paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus:

3. — Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu prælatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum* atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. — Habitum quotidiano incidentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. — Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione « *Laudabilis Sedi sollicitudo* », diei vii mensis februarii M DC LXXXVI, Protonotarii Participantibus concessit: « Mitra et qui... » buscumque aliis Pontificalibus insignibus, etiam in » Cathedralibus Ecclesias, de illorum tamen Praesulium, si praesentes sint, si vero absentes, absque » illorum consensu, etiam illis irrequisitis, extra cu... » riam uti », in obsequium praestantissimae Episcoporum dignitatis, temperandum censimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, diei iv mensis decembri M CMII, ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. — In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium Diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione, « quibuscumque aliis pontificalibus insignibus », non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra Dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* numquam dicent *Pax vobis*; trinam benedictionem impertinent numquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini et Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperata, cantabunt formulam *Benedic vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impetriri.

7. — Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu prælatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fore Ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremonario ac duobus clericis, non tamen Canonicis seu Dignitatibus; seipso tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per Ecclesiam procedentes populo numquam benedicent.

8. — Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico-rubini coloris commixto cum aureo, et simili flocculo-retro ornata.

9. — Mitra in ipsum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. (I, XVII, nn. 2 et 3); nec alia Mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. — Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu prælatitio induti praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum in *Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit præterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvum cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

11. — Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, qui inter cetera prælatorum Collegia primus dicitur et est in romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus præcedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum intererunt, ubi vis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in

altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. - Protonotarius Apostolicus de numero Participantum, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alias, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

II. — Protonotarii Apostolici Supranumerarii.

13. - Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberiana; itemque iis qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quārumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliis Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

14. - Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis, tum aliarum ecclesiarum de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudent nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. - Protonotarii Apostolici Supranumerarii suibei remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini (*Sess. 24, C. 11*), ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. - Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, numquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantelletum supra Rocchetum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini*: pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguis torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus (*paramani*) in manicis (etiam Rocchetti).

17. - Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano*, in Congregationibus, conventibus, audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris, serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulisi et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incidentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. - Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. - Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub chorabibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. - Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificis, in quibus

locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti umquam poterunt.

21. - Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegii non competit, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplice ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. - Gaudent indulto Oratori privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, nec non loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alias Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarum et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. - Licet iisdem acta confiere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei quo tamen prilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. - Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiunguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. - Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vespertas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. - Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebratur, ab eaque recessentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fore ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonici seu Dignitatibus: seipso tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam precedentes populo numquam benedicent.

27. - Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assumunt et deponent, quae in Missis erunt: a) Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; b) Tunica et Dalmatica; c) Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; d) Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; e) Annulus cum unica gemma; f) Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta Caerem. Episcoporum. (I, XVII, nn. 2 et 3); haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exequiis una adhibebitur; g) Canon et palmatoria, a qua abstinentium coram Ordinario seu maiori; h) Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; i) Gremiale.

28. - In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertinentur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Anulo, utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

(*Ad proximum numerum*).

DIARIUM VATICANUM.

(Die xxii mens. Febr. - d. xx mens. Martii MDCCCV).

Coram SSmo admissiones.

Praeter Purpuratos Patres, Urbanos Antistites aliosque viros, qui sui cuiusque munieris gratia Pontificem de more adiverunt, peculiari nota digni sunt iuxta admissionis diem: Greuther De Giovanni, S. Severinae princeps, eiusque uxori; Philippus Lancellotti, princeps Urbanus; coetus academiae cui « Novorum Lyncaeorum » nomen; rev. viri ad Christi Evangelium Quadragesimali tempore in Urbe praedicandum deputati; Maximilianus e Saxonum genere princeps; Aloisius Paquet, Protonotarius Apostolicus, catholici athenaei Vallis Vidonis doctor decanus; Henricus de Liechtenstein princeps, Klevenhüller comes, Carolus Thun comes, Rodolphus Hardegg comes, Spangen comes, Brandis comes, Sommi-Picenardi marchio, omnes e Consilio maximo equitum Ordinis Melitensis; Schilling dynasta, a secretis Russicae legationis apud Apostolicam Sedem; Galeatus Thun Honhestedt, Magister maximus equitum Ordinis Melitensis nuper electus; Teyada de Valdosera comes, Hispaniae legatus apud Pontificem una cum comite de Andino eius fratre, in secretiore cubiculo Hispanorum regis ab epistolis; De Metternich princeps eiusque familia; Hibernici Urbani collegii alumni; de Leiningen comes; de Iseburg princeps foemina eiusque liberi; Schwarzenberg princeps eiusque familia; Carola de Hohenlohe princeps foemina; de Schlick comes eiusque uxor; Idislaus Czartoryski princeps; Nicolaus Casas, Argentine civitatis res agens apud Apostolicam Sedem; denique ad omnia offerenda propter solemnia nominis Sacer Purpuratorum Senatus, Sodalitas Petriana e Catholica Italorum Iuventute, ac Pontificis aedibus tum civiles tum militares addicti.

Varia.

Feria sexta cuiusque hebdomadis Quadragesimali tempore SS. D. N. Pius PP. X una cum Sacro Purpuratorum Senatu sacram contentionem audit a r. p. Pacifico a Seggiano ex Ordine Minorum S. Francisci Capulatorum, oratore apostolico, habitam.

— Die i mens. Martii Pontifex epistolam mittit ad eminentissimum virum Dominicum Svampa, archiepiscopum Bononiensem, valde improbans factionem illam, quae a christiana democracia nomen usurpans, actionem sibi praesumit nulli ecclesiasticae auctorati subiectam.

— Die xi Pontificiae litterae in forma « Brevis » vulgantur, quaedam immutantes den onnullis Equestribus Pontificis Ordinibus, nempe de Ordine S. Silvestri Papae sive Militiae Auratae, ac de Ordine Militiae Iesu Christi.

— Die xiv in Vaticanis aedibus Sacr. Rituum Congregatio habetur ad disceptandum de duabus miraculis, quae a Deo patrata feruntur intercedente Beato Iosepho Oriol, sacerdote beneficiario ecclesiae S. Mariae de Regibus, Barcinone.

— Die xix nominali suo, Pontifex in Consistorii aula Sacra litat atque adstantibus, ad ducentorum numerum, Christi Corpus sua manu praebet.

ANNALES.

Iaponici bellis vices.

Iam a primis Martii mensis diebus vices terrimi bellii quod in Asia geritur eo pergere videbantur, ut eventus maximi momenti brevi surgerent. Alter enim Iaponiorum exercitus a Kuroki imperatore dictus laevas Russorum acies circumvenerat, quum simul Oku dux, subsidiis equitum peditumque tormentorumque acceptis,

eadem ex altera parte procuraret, militesque qui in medio erant ad Mukden in hostes impetum facerent. Inde proelium ex omni parte commissum, quod profecto memorabile posteris manabit: Putiloff collis primum a Nodzu, Iaponiorum duce captus, urbis propugnaculum; deinde Oku Russos apud ipsam urbem fundit fugatque; Nogi autem ad occasum solis castra ponit, iuxta ferriviam, ut itineris aditum prohiberet. Post dies quatuor Russi, quum ultra obstatre nequiere, recedere coacti sunt Tienling versus immensa hominum caede, atque paulo post, heic quoque obsidione cincti, Karbin in urbem, ubi exercitus reliquias collegerunt.

Victrix causa diis placuit, sed victa Catoni; itaque si laudibus ad bellum proficiscentem Kuropatkiniū suprēmū ducem omnes extollebant, nunc in ipsum conversae ob cladem irae; a munere Caesaris decreto est destitutus, atque in eius locum Linievic imperator suffecetus, quem magni consilii virum praedicant. Quid tamen ei reliquum erit?.. O utinam decoram pacis viam suis inveniat ac tandem suadeat!



Russorum civiles res.

Profecto Russica natio pro civilibus etiam negotiis quietis indiget; seditiōnum enim rumores haud omnino recedunt, quamvis Caesar in incep̄tis suis constanti animo perget. Qui anniversaria die recurrente qua servitus ab Alexandro II abrogata est, Caesar populi legatos se invitaturum nunciavit, ut confiendis Imperii legibus ipsi quoque praebant operam; initia haec fortasse aliarum reformationum, quas sub imperii iuribus consequi populo liceat. Ceterum administratorum collegium iam in examen vocavit novas conditiones tum variis religionibus, tum manuum labori faciendas, itemque leges, quae rationes dominos inter atque opifices moderentur.



Balkanici motus.

Vere novo adventante, Graecorum Bulgariorumque contentio in Balkanica peninsula passim renovatur, in locum sese inducens tumultuum a Macedonibus excitatorum, ac quamquam gravis minus, ea tamen quae satis sufficiat ad regionem commovendam, obstaculumque praebendum quominus ea remedia sollicite afferantur a Russis, Austris Hungarisque simul concordata. Turicum interim gubernium Adriano-polis atque Salonicī praesidia firmavit.



Germanorum Caesaris iter.

Iter per Internum mare, cui, quotannis acto, nos iam Germanorum Caesar assuefecit, magni momenti futurum hac tempestate appetet: non enim cum Italorum rege tantum, sed cum Lusitaniae etiam Caesare conventurum praedicanter, atque, in Balearibus insulis, cum Francisco Ferdinando, magno Austrorum duce, regni haerede. Quae quidem colloquia ut Europae gentibus fausta felicia evadant ex animo ominamur.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS.

In Anglia de nimiis impensis gubernium incusatū; quamquam, quum ad suffragia ventum est, plerique legatorum impensarum detractionem negarunt. De renovando exercitu et classi acriter disceptatum.

In Austria, gravis annis munus administrī regī abdicavit Welsersheimb, qui civitatis defensionem tuebatur, eique Schönaich dynasta suffectus.

In Chilena republica administratorum collegium officium dimisit.

In Gallia variae nationis computationes ad examen vocatae; quod occasio praebuit rogationem ferendi ut militiae legati ad exteriores auferrentur. Res tamē incassum tentata.

In Grecia ut copiae numero atque armorum qualitate praevalidae fiant lege propositum.

In Germania contra Bebel, legati popularis, in simulatione, De Bulow cancellarius sollemniter declaravit Germanorum imperium neutri bellatorum in ultima Asia favisse neque favere.

In Hungaria conatus ad novum gubernium constitūndum inanes prorsus adhuc evasere.

In Italia, Giolitti, administratorum collegii praeses, ob malam valetudinem a munere recessit. Collegae tamen munus quisque suum pro tempore retinuerunt. Tittoni, rerum ad exteriores minister, praesidis munere fungitur.

In Scatinavia pariter Norvegici summi consilii praeses Hagerup officium recusavit.



PER ORBEM.

Simplonis montis latebrae effossae tandem sunt; lux per tenebras discurrit, per latebras Alpium nova deducta via, quae novum commutandis commerciis praebet aditum. Verum non omnis gloria absque luctu, laetitiaque gentium sine fletu non est. Nam ipso temporis momento, quo, post incensam supremam ignitae pulveris massam, atque ultimam deiectam parietem per inundantem aquarum rivum hinc et inde Itali Helvetique effossores ad recognoscendam viam eucurrent, bini ex iis, aliis forte audacieores, machinarius uterque, foetidis aëris exhalationibus suffocati repente sunt, ad humum deiecti atque enecati.



Maiores vero aquarum incursum pluraque hominum rerumque damna passi sunt Bariorum incolae ex infimae Italiae regione. Occidente enim hieme ita repente caeli spatium postremis diebus nubes occuparunt atque adeo graves et densae, ut pluvia quae inde tandem erupit, ad duos dies et noctes, quasi Noeticum diluvium, constanti copia deciderit. Erat non longe ab urbe veteris cuiusdam fluminis lectus antiquitus aridus iam et exhaustus, quem obducti ad ostium, planitem versus, scopuli obstruebant. Ibi, paullatim incidentes, aquae morari et crescere, et in flumen inflari minaci unda potuerunt. Quae quam tandem obiecta supergressa est et in planitem erupit, velocissimo et rabido impetu sata, arbores, pecudes, casas quibus occurrit omnia sustulit, divulsit, secumque corripuit. Fugientes agricolae cives de occidente clade monuerunt; at iam fluctus ad portas civitatis pulsabat et profecto, nullis impediti obstaculis, locum invadunt. Ecce heu! vias, tabernas, domus inundant merguntque, caveas et puteos coeno et limo compleant! Civitas Veneto quasi more vias demiratur in rivulos commutatas: per eas sive curribus altis, sive parvis ratibus discurrunt milites vigilisque ad sospitandos miseros cives, quorum forte domus aquarum nimio furore pulsatae parum nutant, eosque excipiunt in ulnis et alio tuta opera transferunt.



Sed ex Iberica urbe a Sancto Andrea nuncupata, oppidum Barcinonianum similem iacturam ex nivali pondere passum est. Tanta enim hiemis rigore eius in tectis congesta fuerat nix, ut tandem domus corrue-


rent et curialium ipsae aedes, quinimo ipsius paroecialis templi sacra moenia deciderent.



Terrestria non prosequimur, et ad maritimas res, faustiora, si liceat, quaerentes, convertimus oculos. Novimus quidem Aegyptianum fretum ab italica navi Humberti regis nomine in syrtes implicata esse occultum, ita ut nullum iam navigium ingredi, nullum exire per diem integrum potuerit; novimus Tridentino in portu similia apud Sancti Nicolai litus alteri navigio contigisse; verum tamen haec in Americanorum praecipuum cessisse curam dicemus. Eos enim Washingtoni in senatu legem tulisse audivimus, ut navis instrueretur, quae ad hoc iter faceret. ut reliquias septem supra viginti navium, quae Oceanicum iter a Sancto Iacobo ad Novam Terram suis ruderibus occupabant, immissa ignitae pulveris manu disiceret.



At saluberrimis hisce consiliis longe melius antecellit facinus quod Londinenses apud Tamesim fluenter moluntur. Qui iam navem extruxerunt Napieriam dictam, Yarrowensi in opificio conditam, quae petrolei vi et generata inde electride agetur, ita ut celerrima navium evadat. Novo hoc ritu naves fient praesertim bellicae eaeque iaculatoriae, quae nullis illis fistulis ad fumum edendum insignes erunt, et parvam satis intra se machinam habebunt, quae paucis nautis gubernabuntur. Haec omnia quantae utilitatis in bello futura sint quisque videt, planeque precipit quanta simul alacritate, furente adhuc Russico bello tetro, novae ab hominibus clades hominibus comparentur.



AENIGMATA

A FR. PALATA PROPOSITA.

I.

Herba colore rubro sum dives, odore fragrantia.
Immuta frontem: blandus amator adest.

II.

Sica dolosa scio mucrone nocere cruento.
Rho mihi subnectas: depello gaudia mente.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad Commentarii moderatorem miserint intra menses duos, unus, sortitus, gratis accipiet I. B. FRANCESIA comoediam latinis versibus scriptam, cui titulus:

SATURIO.

Aenigmata an. VIII, n. I proposita his respondent:

1) Orbita-s; 2) Pinus, Pindus.

Ea rite soluta miserunt:

Ios. Matyasak, *Scopus*. — Andr. Tafani, *Florentia*. — Fr. Grander, *S. Joanne Rhaetorum*. — I. Berckvens, *Strato*. — Car. Stegmüller, *Sabaria*. — Em. Gschwind S. P., *Praga*. — Andr. Pápay, *Pruessina*. — Iac. Tasset, *Molosmo*. — D. Le Provost, *Briocen*. — Ios. Clerico, *Viveronio*. — Princ. Gordon, *Mancunio*. — P. F. Navrátil, *Olonomuccio*. — D. Malynta, *Sitionica*. — I. M. Jaume S. P., *Modiliano*. — Iul. Agatsin, *Strigonia*. — Am. Robert, *Marieville*. — Ioan. Cantone Ceva marchio, *Vercellis*. — Ios. Walter, *Neo-Eboraco*. — Petrus Tergestinus. — Ioan. Giambonini, *Poteggio*. — Call. Amalberti, *Altio Intemelio*. — Cam. Straschill O. F. M., *Vitaco*. — Zivirzina par, *Lohnau*. — Fr. Lang, *S. Martino Austrorum*. — St. Lavinski, *Niemistov*. — Lad. Lud. Podobinski, *Bochnia*. — Alois. Cappelli, *Senis*. — Mich. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — Disc. Gramm. Sup. Coll. S. Mich., *Bruzellis*. — V. Starace, *Neapol*.

Sortitus est praemium

FR. LANG,

ad quem missum est JOSEPHI ROMEO carmen quod inscribitur
VIRGINI DEIPARAE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Facis* Phil. Cuggiani.

Vox Urbis Commentarius

procuratores quaerit, qui apud exteris gentes atque in ipsis Italiae civitatibus magis magisque ipsum Commentarium diffundant; iisque amplam pro laboribus mercedem solvet.

Itaque qui rem sibi sumere posse credant, ubivis sint terrarum ad ARISTIDEM LEONORI equitem, *Vox Urbis* commentarii possessorem atque administratorem (Romae, Via Alessandrina, 87) scribant, qui sua vice commercium epistolarum cum ipsis inibit, atque de re omnes explicationes expeditabit. Iuvenes praesertim invitantur, qui latinam linguam callentes inde sedulitatis suaem emolumenta percipere cupiant.

IOCI.

Sutor ne ultra...

Qui Henrico IV Galliarum regi a confiendis vestibus erat, bonus quidem homo et suae artis magis quam par esset peritus, se non illa tantum valere arbitratus ad altiora tendebat. Hinc saepe de administrando regno cum aequalibus paribusque verba faciebat - (nec enim incassum et inutiliter regi vestes aptantur!), - et plaudentibus iis gloriosulo, et gloriolae eius blandientibus, in mentem venit laudato ut illa scriberet axiomata, quibus tantus iam amicis videbatur. Quid si amicis librum legeret? Quid si regi suo legendum traderet? Scripsit, legit, regem de more adiens vel legendum porrexit. Miratus rex volumen suscepit, et circumferens primas per paginas oculos vidit de bene gerenda repubblica illic esse praecepta. Qui sibi a secretis aderat statim accersiri iussit, atque ubi coram fuit: - « Minister, - inquit, - metire me, et iuxta mensuram indumentum confice! » Ille attonitus, obstupescens parere volebat iubenti, sed nescius, ineptus... Tum homini scriptori: - « Heus tu, consiliator regum, chartam sume, et scribe de iuribus inter me et Angliae regem, quae mihi faciant ». Non minus hic haerere incertus, obstupescere, nescire quid facturus esset. Tum rex huic gravis, illi iucundus: - « Video, - inquit, - vobis nihil esse quod alienum a vestro usu sit. Redite igitur, quisque suum ad munus, ut antea fecistis, et hactenus, et in illud in quo estis incumbite. Dixit, dimisit.

LIBRI RECENS EDITI.

- La vita di S. Antonio abate narrata da S. Atanasio. (Versio Italica).
Costituzione politica del regno d'Italia.
Prosodia e metrica latina pel Ginnasio.
Metrica latina pel Liceo.
Metro degli inni del Breviario Romano.
Omilia di S. Basilio Magno ai giovani.
Omilia del medesimo sulla massima: Studia te stesso.
Omilia di S. Gregorio Nazianzeno sui Maccabei.
Omilia del medesimo in morte del fratello Cesario.
Omilia di S. Giovanni Crisostomo nella Pasqua del 387.
Il libro della mortalità di S. Cipriano.
Della vita e degli scritti di S. Paolino di Nola.

Veneunt singuli libell. 0,55 penes doctorem IOSEPH. CLERICO domo Viverone in Italia.

Praeterea:

- Geografia per il Ginnasio.
Le coniugazioni dei verbi italiani.

apud eumdem.

SUPELLEX AD RES DIVINAS.

Commentarii VOX URBIS administratio recto tramite suppeditat supellectilem omnem, qua tum in templis, tum in oratoriis ad res divinas uti solemus.

Mandata ad VOCIS URBIS administratorem (Romam, *via Alessandrina, 87*) mittantur, res praecise indicando quae quisque sibi cupit. Gratuito sumptuum aestimatio fiet.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes Idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus quod de negotiis Ecclesiasticis esset; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanae Ecclesiae « Congregationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

SATURIO,

Comoedia latinis versibus conscripta a clarissimo viro Ioanne Baptista Francesia et per Commentarii VOX URBIS paginas vulgata, in volumen redacta est, quod apud Commentarii eiusdem administratorem venale prostat lib. 1.

→ IN LUDIS LITTERARUM OPTIMA TIRONIBUS SCENICE AGENDI EXERCITATIO. ←